

ditissimam et nobilissimam Saracenorum. Audientes vero Saraceni, qui sunt in parte  
 occidentali, illis succurrere festinarunt pro posse. Exercitum siquidem Christianorum  
 civitatem obsiden<sup>t</sup>ium obsederunt et ipsi, omnibus Egypciis eis forum [a] pro viribus  
 et adjutorium praebentibus. Circa igitur kalendas februarii, turrem magnam et altam  
 super portum [b] civitatis nostri, signo Sanctae Crucis intus et foris signati, ceperunt  
 milles gladio et igne, et aedificiis lignorum cadentibus utrinque pere<sup>r</sup>uptis, super  
 dictum flumen pontem navium aedificantes. Altero vero anno, scilicet MCCXVIII, in  
 mense augusti, in decollatione Sancti Iohannis Baptiste, Christianorum exercitus, in-  
 vito rege Iohanne [c] Hierosolimitano, exeentes obviam Saracenis, aggressi sunt eos  
 longe a castris per millaria tria. In quo praelio periere infinita milia populorum et  
 maxime Christianorum. Hi siquidem [d] principes semper in obsidione Damiatae in-  
 terfuerunt, scilicet dominus Pelagius, Apostolicæ sedis legatus dignissimus, et domi-  
 nus patriarcha Hierosolimitanus, et dominus Iohannes de Brenda rex Hierosolimitanus,  
 animo et actibus alter tempore gratiae [e] Machabæus, et dux Austriae et dominus  
 Iacobus nobilissimus comes Romanus, et alii quorum nomina ignoramus. Eo namque  
 tempore, venit ad exercitum Saracenorum paganus quidam de parte orientali, qui a  
 provincialibus dicebatur esse de stirpe gigantea, quod fidem [f] dabat verbis, videlicet  
 proceritas staturæ et virium magnitudo. Cum enim expugnabat nostros, non ute-  
 batur clypeo aut lancea, sed triplici thorace induitus, utraque manu clava ferrea et  
 terribili sibi resistentes perculiebat. Cui rex Iohannes, divina adjutus gratia, exiens  
 obviam, ipsum a fronte usque ad umbilicum omnibus incidit videntibus. [g]

*Epistola captionis Damiatae et Gallorum missa ad dominum Papam.*

CAP. CLX.

Anno Domini MCCXVIII, die quinto intrante mense novembri, capta est Damiata  
 a populo Christiano; quorum principes [g] isti erant, scilicet dominus Patriarcha Hierosolymitanus, dominus Iohannes rex Hierosolymitanus, dominus P[er]cardinalis [h]  
 Albanensis, a quibus omnibus literas ad hunc modum recepimus. [i] Pelagius

« Sanctissimo Patri ac domino Honorio [A], Dei gratia summo Pontifici Romano,  
 « Patriarcha Hierosolymitanus rex Burdegalensis, Nicosiensis archiepiscopus [i],

[a] eis forum. Sic Codd.; nempe commeatum, aut, quod vulgo dicimus, foraggio. Figurate, continens  
 pro contento. — [b] super portum. Sic lego Cl. Mitt., et sic habet C. M.; super portum, C. V. Sed Cod.  
 Viar. hic habet plures lacunas. — [c] rege Iohanne, scilicet de Brenda. — [d] Hi siquidem, C. V.; hi  
 siquidem, C. M. — [e] tempore guerrae, C. V. Notulam gr̄e, quam habet C. M., Cl. Mitt. reddit: gratiae.  
 — [f] quod fidem, C. V.; quod, etiam videtur habere C. M.; sed Cl. Mitt., legit: qui fidem. — [g] quo-  
 rum principes. Sic Codd. — [h] dominus P. Cardinalis. Sic C. M.; dominus pater Cardinalis, C. V.  
 Non pater legendus est, sed Pelagius. Is enim erat episcopus Albanensis et cardinalis, ac Sedis Apo-  
 stolicae legatus, natione Lusitanus, durae vir cervicis, de quo vide etiam cap. CLXIX seq. — [i] Nico-  
 siensis archiepiscopus. Sic lego. Codd. habent: Nicosiensis archiepiscopi.

[A] Domino Honorio, scilicet hujus nominis tertio.

i) Radu Yur.

✓ Johanna